



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 58. Ejusdem scriptum adversus vota

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI. anxietate a censuris absolutionem esse  
 A.C. 1520. impertiendam.

## §. LVIII.

*Lutheri scriptum adversus vota.*

Eodem etiam tempore libro edito votorum frequentiam vituperat, sævitiamque parentum ac tutorum deplorat, eo magis barbaram, quo ferventius eam ex pietatis obtentu explerent; his subjunxit, quod votorum usum in Ecclesiam introduxerit ignorantia, & avaritia, necnon inæqualis parentum in suos liberos affectus ac denique magnum proles e parentum domo ac cura extrahendi desiderium, cum tamen non aliud veniret negotium, majori attentione ac scrupulo discutendum, quam ipsa status perpetui electio, quapropter Episcopos, ac Verbi divini Præcones adhortatur, ut illam, qua potissimi moventur, vota emittendi propensionem e fidelium cordibus evellere conarentur; ad eundem quoque censum revocat peregrinationes sacras, quin imo effutire haud erubescit, optandum fore ut nulla alia præter Baptismi votum fierent, ac denique contendit, quod ea, quæ Deo fuissent facta, vota solvendi potestas Pontifici haud competat, nec votum castitatis ante pubertatis annos valeat, hinc a se optari ajebat, ut Religiosa professione

fessio a pueris nonnisi decimo octavo Sæcul. XVI.  
 vel vigesimo, a virginibus vero decimo A.C. 1520.  
 quinto vel decimo sexto ætatis anno fie-  
 ret. Ceterum Lutherus, priusquam a  
 Leone X. solemnī damnationis nota per-  
 strictus fuerat, alia præter recensita opus-  
 cula conscripsisse haud videtur.

## §. LIX.

*Cæsar Lutherum custodiæ dare, a Papa sollicitatus.*

Interea Lutherum Elector Saxoniz, Se-  
 guingus celebris Bellidux, Huttenus,  
 ac alii nobiles, eo quod terras a Majori-  
 bus suis Ecclesiz donatas vindicare cu-  
 pidi essent, constanti potentique favore  
 tuebantur: Igitur summus Pontifex Lu-  
 therum horum præsidio fretum compe-  
 riens, ad suum in Hispania Nuntium li-  
 teras dedit, eidem injungens, ut Carolo  
 Religionis discrimen, quod Imperii Sta-  
 tus subiret, exponeret, rogaretque, ut  
 Lutherum comprehendi juberet. Nun-  
 cio reposuit Cæsar, huic Monacho pa-  
 tria talis est, in qua non ea, ac in Ita-  
 lia facilitate de hominum libertate decer-  
 nitur; priusquam igitur Francofordiz co-  
 ronatus ero, Sanctitatis vestrz voto sa-  
 tisfacere non valeo; quippe ante hæc  
 solemnīa mihi haud licet, jurisdictionem  
 in imperio exercere; peracta tamen in-  
 K k 3                      augu-